

Tum Dea: materno (12) sponsæ de sanguine Princeps  
 Vendrameniades: ejusdem plurima gentis  
 Circumstat turma, atque insignibus emicat isdem,  
 Ostentatque suos pariter patresque, ducesque.  
 Quot vero Heroes cœtu densantur in illo,  
 Maternos qui sponsi atavos, atavosque paternos  
 Continet, & longos decora instaurata per annos  
 Coraridum gentem miscens, gentemque Quirinam!  
 Hic etiam lauri, & bellis rostrata corona  
 Parta iterum, atque iterum æquoreis, prætextaq; dorso  
 Purpura, & omne genus repetita insignia fulgent,  
 Ipsum etiam sceptrum, & frontis diadema recurvum.  
 Ast unum (13) rubeo cingentem sacra galero  
 Tempora cerne patrem tota de gente Quirina.  
 Quid memorem tanti laudes Herois! In urbe  
 Ille tibi latia longum sat cognitus, atque  
 Nullus in immenso usque adeo lateret angulus orbe,  
 Quo non fama viri, quo non tot grandia scripta  
 Pertigerint: nostros etiam celebravit honores  
 Aonidum, cytharaque, & plectro lusit eburno.  
 Sed me Coraridum decora immortalia tandem  
 Ad sese rapiunt, quibus omnia cœtera longe  
 Concedant, opus est, orto ceu sidera Soli.  
 Nonne vides? Latii solium conscendit, & alta  
 Supremum Latii solium conscendit, & alta  
 Fronte gerit triplici cinctum diadema corona,  
 Coraridum de gente fuit, sceptroque potitum  
 Biffextum Gregori dixerunt nomine Patrem.  
 Coraris Eugenium, qui nomine quartus eodem  
 Condul meriades sceptro, folioque refulsit,  
 Progenuit mater, Gregori soror ipsius: istud  
 Nec sat adhuc uni. Paullum dixere secundum  
 Barbiaden, Latia pariter qui sede locatus  
 Immensum auspiciis rexit felicibus orbem.